



I Ta non latet Virtus,
Ac facilius ab Igne removeris splendorem,
quam à Virtute publicum gloriæ testimonium.
Imo ne patibulis quidem delectatur
quæ illustrandis hominum cœtibus est destinata.
Obscuras animas capit solitudo,
neq; dulce est sibi vivere,
nisi cum aliis vivere aut nolumus aut non possumus.
Cur quietem optet, cui Labor pabulum est?
Cur in negotiis langveat, cui publicum commodum medicina est?
Cur majora sibi imponi nos patiatur,
Qui ad maxima se natum deprehendit?
Tum sanè subsistere cupient illustria capita,
Cum viderint a motu abstinere stellas.
Nempe quod in Firmamento Stellæ,
id in Rep. Proceres,
qui Solis h. e. Principis radio conspicui
primam, secundam, vel tertiam referunt magnitudinem.
Quid? tum sine fructu crescent ingenia meliora,
cum in Anni circulo non apparebit autumnus:
quippe tot in horto Reip. spectantur arbores,
quot surculos Serenissima dextra plantatos
in altum videmus excrescere.
Et ô felicem Lusatiam!
O felicissimum Vicinæ nostræ districtum!
cui fidus Autumnale fœcundissimam Plantam ostendit.
Imo cui LOEBENIUS
antea sideris illustri omine notus,
nunc ita acceptus fuit CAPITANEUS,
ut splendoremi simul & fructum,
tanquam certissimæ Virtutis documenta suis indulgeret.
Poterat is deprecari molem.
Qui fortunæ jam debebat incrementa privata:
Imo qui invigilare non poterat publicis,
nisi circumspicuum futurum oculum subtraheret fortunis domesticis.
Interim faustum credidit jacturam,
quæ avertendis multorum jacturis susciperetur.

PRIN-